


Dissertatio Inavgvralis Ivridica De Legato In Debitvm Havd Compensando Daß ein Vermächtniß in keine Schuld einzuwerffen

Vitembergae: Prelo Hakiano, 1740

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780919093>

Druck Freier  Zugang





V. K. — 2 (79.)

1. Kreuz
2. Baptonel
3. Myles d
4. Kilo chr
5. Hornmel
6. Caprogr
7. Rein h
8. Siffer
9. Norey o
10. legimo
11. Cranau
12. Madum
13. Meuhau
14. Bechen
15. Wovimus
16. Gell qu
17. fahel r
18. Srober o
19. Srober
20. am eju
21. Kruw de
22. waiur
23. Summar
24. waling
25. ulei p
26. Srober be
27. Moma
28. Moma
29. Moma
30. Moma
31. Moma
32. Moma
33. Moma
34. Moma
35. Moma
36. Moma
37. Moma
38. Moma
39. Moma
40. Moma

1. Krauß de legato in debitum haud compensando
2. Baffineller. casus specialis ex successione feudali
3. Mylius de patre Iudaeo alimenta, sumptus studiorum et legitimam filio christiano denegante
4. Stommel de successione spuriorum secundum Nov. 79. Cap. 12.
5. Claprotte de computo legitimae secundum personas.
6. Reinhardt de processu summarii incommodis eiq; ab ordinario differentis maxime spuris.
7. Moser de legitima S. R. I. statuum liberorum utriusque sexus, tam legitimorum quam naturalium.
8. Cravandus Hugonius de Testamento dud. h. G. V. v. Ludewig ubi huc me- thodum demonstrativam in iure.
9. Neuhaus ad l. Petilliam de obaeratis debitoribus.
10. Rechenberg de secundis nuptiis.
11. Rivinus de monopolis.
12. Crell quando efficaciter de testamento transigatur non inspectis tabulis.
13. Gruber vindictiae Austriacae pro aurei velleis ordine.
14. Strube de origine nobilitatis germanicae et praecipuis quibus- dam eius juribus.
15. Struv de successione feminea in regna et provincias Austriacas.
16. Quadius de foeda atque infauota foederum violatione.
17. Bünnemann de nobiliis Germaniae iure eligendi imperatores.
18. Gundling venter an nobilitet?
19. Deleppiger origines nobilitatis diplomaticae.
20. Göckel de regali fodendi nitrum.
21. de Plönies de ministerialibus.
22. Petermann de exercitio iuris patronatus realis ad praediorum fructus referendo.
23. de Schultenburg de privilegiis ac praerogativis nobilium mediatorum in Germania.
24. Einbüttighe Hofrat der Fürsten Grafen und Herren des Reichs von Vinschgau die nungubildeten praerogativen des gmundenen Adel
25. Delphinus conjugium eunuchi.
26. Struex de iure sabbati. 2. de iure liciti sed non honesti. 3. de reli- quis sacramenti in matrimonialibus.
Böhmer de nexu tergemini argumenti in religione sabbati honestatis et matrimonii occupati.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
**LEGATO IN DEBITVM
HAVD COMPENSANDO**

**Daß ein Vermächtniß in keine Schuld
einzuwerffen.**

QVAM
P R A E S I D E
IO. GODOFREDO KRAVSIO, D.
DIGEST. INFORT. ET NOV. PROF. PVBLICO, CVR. PROVINCIALIS, SCABINATVS, ET FAC. IVRID. QVÆ VVITTEBERGAE FLORET, IVDICII ITENDITEM PROVINCIAL. IN INFERIORE LVSATIA ASSESSORE, ETC.

**PATRONO ET PRAECEPTORE OMNI ANIMI
CVLTV SVSPICIENDO**

PRO OBTINENDIS SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
DIE XXVI. FEBRVARII M D CC XXXVII.

IN AVDITORIO MAIORI
CONSVETIS ANTE ET POMERIDIANIS HORIS,
TVEBITVR

CHRISTIANVS GOTTLIEB SEEBACH
VITEBERGA. SAXO, PRACT. WVRZENSIS.

VITEMBERGAE, PRELO HAKIANO.
1740.

DISSERTATIO DE VITAE MORIBUS

LEGATIONIS
TVM HAVD COM
PENSA



Ex Libris Academiae Rostochiensis

PER AESSIDE
IO. GODOFREDO KRASSIO, D.

PRO PATRONO ET PR. AESSIDE
IN PATERNOE EVSATA ASSISSOR

PRO OBTINENDIS SVMMIS IN VARE HONORIBVS
DIE XXXI FEBRUARII MDCCXXXIII

IN AVDITORIO MAIORI
CONSVLIS ANTE ET FORTIDIS HON

CHRISTIANVS GOTTFRID SEEBACH
VITAE MORIBVS

ALBERGASIO PRAT. WARTENSIS
ROSTOCKI



DISSERTATIO IVRIDICA
DE
LEGATO IN DEBITVM HAUD
COMPENSANDO.

§. I.



Debitorem Creditori suo id, quod ei debet, relinquere posse, certi indubitaeque juris est, §. 14. *I. d. Leg.* modo plus emolumenti legato, vel quoad praestationem usurarum, vel securitatem aut repraesentationem temporis, insit. BACHOV. et VINN. *ad cit. §.* Si quando vero debitor creditori suo aliquid, mentione debiti haud facta, relinquat; quaeritur: Num illud relictum in debitum sit compensandum? Regulariter quidem nullum legatum a debitore creditori relictum, in debitum computari debere, nisi voluntas testatoris compensare volentis evidenter ostendatur, clare insinuant textus Juris. Ita enim in *l. 85. D. d. leg. 2. et l. 6. C. de hered. instit.* enixe dispositum reperitur. Nihilominus tamen ab hac regula quidam Juris Interpretes recesserunt, et cum leges inter se non omnimodo convenire observarent, discrimen quoddam inter voluntarium et necessarium debitum fecerunt

Sententia de compensando Legato in debitum proponitur.

cerunt, atque hoc in legatum a debitore relictum compensandum, vel, quod idem, legatum in necessarium debitum imputandum, esse statuerunt. Invaluit itaque communis opinio, quae pluribus fere recepta est, quod debitum necessarium semper cum legato videatur compensari, et sic omne legatum a necessario debitore relictum, animo compensandi relictum censeatur. *MENOCH. L. IV. Praesumt. 109. sq. et L. 2. A. I. QV. Cas. 182. HARTM. PISTOR. Obs. 105. BRVNNEM. ad l. 22. D. sol. matr. et in Dec. 17. Cent. 3.*

§. II.

Quid sit necessarium, quid voluntarium debitum?

Appellant vero debitum necessarium, quod immediate ex legis vel Statuti dispositione absque hominis facto praestandum venit, et referunt huc dotem, legitimam, dotalitium, statutariam portionem, alia, et quoniam illud ex lege ortum trahit, etiam legale vocant. *COUVARR. ad Cap. Officii 14. X. de Testam.* Voluntarium debitum vocitant, quod a principio ex contractu vel ex quasi, contractu, et ita a voluntaria causa proficiscitur, et cum hoc ex conventionione oritur, conventionale nominare solent.

§. III.

Extensio sententiae;

Extendunt hanc doctrinam adeo, ut debitum necessarium, licet postea conventionione interveniente constitutatur, nihilominus pro necessario habeant, *arg. l. 84. §. 6. de leg. 1.* Quodsi igitur aliquod debitum necessarium in defuncto adfuerit, illud etiam in herede, licet ejus factum et voluntas adeundo hereditatem accedat, necessarium manere volunt. Faciens enim id, ad quod necessario compelli potest, dicitur necessitate coactus facere, tamen si sponte faciat. *MENOCH. cit. praef. 109. n. 42. sqq.*

42. *sqq.* Quamvis ab hac opinione quidam divortium faciant ob *Leg. 4. D. de dot. collat.* Quae lex tam graviter obstat, ut magnus Glossator BALDVS ad eum nihil solidi reponere potuerit, observante *MENOCH. c. l.* Quin eo dilabuntur, ut legatum in debitum necessarium compensandum esse censeant, licet quantitas quantitati haud conveniat, *arg. L. antepen. §. 1. D. de alim. et cibar. leg.* Aut species relinquatur, et tantum quantitas debeatur, vel alia prorsus et diversa adjecta sit temporis qualitas. Non minus protendunt hoc assertum ad ea, quae non solum inter vivos, sed etiam mortis causa sunt donata, atque haec in debitum necessarium compensari oportere, statuunt. *arg. l. 29. C. de inoff. test. HARTM. PISTOR. Obs. 105. BERLICH. P. III. Concl. 27. n. 15. sqq.*

§. IV.

Huic sententiae, praesidium quaerunt, partim ex Leges et Rationes sententiae recensentur. legum argumentis, partim ex rationibus inde desumptis. Praecipuae leges, quas pro stabilienda hac sententia citant, sunt *l. 22. §. 3. D. sol. matr. l. 84. D. d. leg. 1. §. 6. l. 35. §. 5. de leg. 2. item Avth. Praeterea si C. unde vir et uxor*, Prioribus legibus continetur, quod pater soluto matrimonio pro filia dotem a genero receperit, indeque filiae factus sit debitor; Cum igitur filiae quoddam reliquerit legatum, quaesitum fuit: Num illud in dotem compensari debeat? et *VLPIANVS* cum *JULIANO*, ad quem ille provocat, relictum filiae in dotem compensandum esse, responderunt, unde Glossatores concludunt, quod, cum dos lege debeatur, et naturam debiti necessarii habeat, ideoque etiam in Legibus in legatum sit computata, etiam omne relictum in necessarium debitum compensari debeat. In *Avth. si praeterea C. unde vir et uxor*, constitutum est, ut inops uxor demortuo marito succedat. Si quando

do ergo maritus uxori legati nomine aliquid relinquat, illud in portionem suam legalem imputare debet. add. Nov. 53. C. 6. et Nov. 117. C. 5. Exinde suae sententiae, quod legatum in debitum necessarium sit compensandum, stabilimentum quoddam pollicentur. Rationes, quibus sententiam circumvallant et firmant, sunt, quod nemo in necessitatibus liberalis praesumatur *l. 18. D. de alim. leg.* et is tantum, qui nullo jure cogente donat, vere donare dicatur, *BERLICH. cit. Concl. 27. P. III. MENOCH. Praef. 109. L. IV. n. 5.* Patrem enim potius solvere, quam donare, verisimile esse, ajunt, *juxt. l. 35. §. 5. de leg. 2. ne praestatione duplici heredem oneret GLOSS. ad l. 22. §. 3. sol. matrim.* Cetera argumenta, quae Berlichius, in allegata conclusione, ulterius adducit, quod nimirum legatum in legitimam sit imputandum, imputatio vero legati in debitum collationi sit adaequando, studio praetereo, cum legibus repugnent, seseque ipsa confitent.

§. V.

Origo hujus
opinionis.

Originem haec sententia debet glossatorum ingenio commentis, qui saepius ex speciali casu in lege proposito, lege ipsa, vel ejus ratione haud accurate inspecta, generalem confecerunt regulam, eamque ad absimiles casus transferre et applicare studuerunt. Etenim ejusmodi Commentatores in una alterave lege explicanda omnes ingenii vires et doctrinae thesauros effundebant, et pene omne vitae tempus consumebant, indeque regulas quasdam, invito textu, nec legibus, quae obstabant vel derogabant, attentis, contorte colligebant et modo in hac, modo in illa Academia declamabant. Auctoritas eorum erat magna, ut multi eam secuti, haud subductis satis rationibus, sibi multa a vero aliena tanquam vera obtundi sint passi. Ita quoque cum praesenti assertionem de
impu-

imputatione legati in debitum necessarium, est comparatum. Hanc enim ex legibus supra allegatis minus rite intellectis, & male applicatis, extraxerunt, et suis auditoribus pro veritate venditarunt. Enimvero quis nescit MENOCHIVM, HARTMANNVM, PISTORIVM, COVARRUVIAM, BERLICHIVN, CARPZOVIVM, interpretationem Baldi, Decii, Jasonis, Alexandri, Pauli de Castro. et aliorum, nimium secure esse secutos, eo tamen feliciores, quod ex novioribus multos praeclarissimos, doctissimosque Viros, in suam pertraxerint sententiam.

§. VI.

Liceat tamen mihi, pace horum Virorum, ab hac discedere sententia, et ad aliorum nimirum COLERI, MOLLERI, SCHILTERI et BEYERI tanquam dissentientium castra transire. Hi enim solertissimi Juris interpretes optime perspexerunt, distinctionem, inter necessarium et voluntarium debitum, non magis, quam opinionem, qua relictum in debitum necessarium compensari debet, legibus fundatam esse. Libere quoque dissentium prodiderunt, et rationibus haud invalidis corroborarunt, sed cum iis forsan non temporis satis et otii fuerit, rem exhaurire, aut momento exactius excutere, haud potuerunt.

§. VII.

Quare id mihi dedi negotii, ut in veritatem hujus sententiae et rationes legum sollicitius inquirerem. Evidentem inter meditandum reperi, sententiam hanc, per vetustam dicet, minus veram esse. Ante omnia igitur praemonendum esse duco, distinctionem, inter debitum necessarium et voluntarium, nullius esse momenti, omnique

Expenditur fundamentum distinct. inter necessarium et voluntarium debitum.

(0)

que destitui fundamento. Praeterquam enim, quod nulli in legibus deprehendatur, lege vero non distinguente, nec nostrum sit distinguere, et ita in iis causis, quae a lege determinantur, sine lege loqui, sit erubescendum, *Nov. 18. Cap. 5.* ita quoque non video, quid discriminis inter voluntarium debitum et necessarium intercedat. Omne enim debitum voluntarium, licet ex conventionem trahit, tamen necessitatem praestandi id, quod debetur, in se continet. Innuit hoc illa in vulgus satis nota regula, quod ab initio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis. Hinc itaque etiam debitum voluntarium recte dicitur necessarium, cum omni obligationi, sive ex lege, sive ex contractu proficiatur, necessitas quaedam in sit. Omnis enim obligatio est vinculum juris quo necessitate rei alicujus solvendae adstringimur, *pr. F. de oblig.* Vides ergo in voluntariis debitis, tam vinculum juris, quam necessitatem.

§. VIII.

Uterior hujus
disquisitio.

Vicissim fieri non potest, quin non debitor in debito, ut vocatur, necessario et legali, suo facto, v. gr. aduendo hereditatem, ducendo uxorem, procreando sobolem, elocandoque filiam, sese ipsemet ad id, quod scit lege deberi, voluntarie obstringat, et ita ex necessario, voluntarium efficiat debitum. Quo fit, ut omne debitum intuitu obligationis sit necessarium, illud vero, quod necessarium appellatur, habito respectu ad principium, juxta regulam; qui vult antecedens, vult etiam consequens, ex facto debitoris, et superveniente ejus consensu, transeat in voluntarium. Siquidem lex hoc, vel illud praestandum sub quadam conditione praecipit, et ideo debitor, dum conditionem acceptat, facto suo voluntarie se ad praeceptum obligat. Ita lex Aquilia vult, ut *damnum resarciatur datum, quis hic non videt, hac lege*
nemi-

neminem teneri, nisi qui damnum inferendo legis dispositioni se ipsum submittit. Lex Feudalis requirit praestationem servitorum, dotationem filiae domini directi, alia, nemo tamen haec onera subit, nisi qui, accipiendo feudum, ad haec se obligat. Nanciscitur ergo obligatio ex conventionem suam necessitatem ex lege, et obligatio ex lege tunc demum consequitur robur, si quando factum hominis, in lege praesuppositum, accedat. Quid igitur interest voluntarium inter debitum & necessarium? Sane nihil. Quare haec distinctio est manetque figmentum contra juris principia excogitatum.

§. IX.

Incertitudinem hujus distinctionis ipsi ejus Patroni produnt, non solum enim inter se de natura debiti voluntarii & necessarii, sed etiam de conclusionibus exinde promanantibus, digladiantur. Andreas saltem MENCHIVM, HARTMANNVM PISTORIVM, COUVARUVIAM, et deprehendes ibi tam innumerum dissentientium numerum, ut quo te veritas, quidve amplecti debeas, semper nescius et dubius sis mansurus. Exempli loco ex Berlichio, acerrimo hujus distinctionis defensore, *Concl. 27. P. III.* et passim, quaedam proferam. Is enim in *Decis. 223. P. II. n. 13. et 14.* statuit, portionem statutariam non legale et necessarium, sed pactionale et voluntarium esse debitum, ideoque, prout ibi casum recenset, domum a marito uxori donatam, in illam, sc. portionem, non computandam esse, asseverat, rationem addens, quod maritus contrahendo matrimonium sponte et quasi ex conventionem ad portionem statutariam se obligaverit; Et idem hoc est, quod paulo antea dixi, quod nimirum necessarium et legale debitum fiat voluntarium, dum semper ejus, qui ex lege obligatur, factum accedit,

Dissentio Dd. in principio et conclusionibus, demonstratur.

B

quo

quo consensum suum in debitum necessarium indubitanter declarat. Ita quoque sententiae hujus sectatores, ex necessario, voluntarium, pactis intervenientibus, fieri negant, alii affirmant; nec minus in ea quaestione decidenda, num species relicta in quantitatem necessario debitam compensari debeat, valde fluctuant. Equidem observo quosdam hujus opinionis defensores, in quorum numero est COUVARRUVIAS, relicta a marito in statutarium lucrum haud compensandum esse statuisse, adeoque sibi suoque contradixisse principio. vid. COUVARRUVIAS p. 64. OPER. suorum. E contrario doleo quosdam cum BRVNEMANNO ad legem 22. D. solut. matrim. obligationem mariti vel patris, qua receptam dotem, ob eorum factum, restituere tenebantur, inter necessaria debita retulisse, indeque falsas, ut infra admonebitur, traxisse conclusiones. Adeo hujus sententiae sectatores inter se non conveniunt, nec, quid velint, sibi ipsis constant.

§. X.

Progredior ad leges quibus inniti debet haec communis opinio. In lege 22. §. 3. D. solut. matr. et lege 34. §. 5. D. de legat. 2. duplex occurrit quaestio. Prima est, num filiae detur actio, si pater dotem pro ea soluto matrimonio exegerit, et distinctione quadam res dirimitur; Utrum invita filia vel ea haud dissentiente egerit, et num filia aliquid a patre sive hereditatis sive legati nomine relictum, acceperit nec ne. Priori casu filiae competit actio, non vero posteriori, tum quod ex voluntate ejus pater repetierit dotem, et ita perinde ac si filiae solutio facta esse, propter ejus ratihabitionem habendum sit, l. 34. §. 6. et 49. D. de solut. et l. 11. D. de pignor. act., tum quod lucrum a patre ceperit et sic etiam ejus factum praestare teneatur l. 149. de R. Jur. Altera est quaestio:

Num

I LL. pro distinctione facientes explicantur.

Num illud, quod a patre filiae relictum est, in dotem compensari oporteat? Ita Ulpiano, Juliano & Modestino est visum. Subdit *MODESTINVS* in *l. cit. 34.* duplicem rationem, primum, quod non verisimile sit, patrem duplici praestatione filium, eundemque heredem, onerare voluisse, deinde, quod pater putaverit, se efficaciter, licet non consentiente filia, actionem adversus generum instituisse. Noto ego nunc, quod pater ex receptione et repetitione dotis filiae debitor sit factus, quis vero hic necessarium debitum, i. e. quod ex lege oritur, subesse credat, cum pater per exactionem dotis, se ipsum filiae ad restitutionem dotis, a genero soluto matrimonio receptae, facto suo obligatum reddiderit.

§. XI.

Observandum enim est, patrem ad repetendam dotem agere non potuisse, nisi filiam in potestate et in actionem consentientem haberet *l. 24. D. sol. matr.* Quod si vero nihilominus, his requisitis neglectis, egisset et postea filiae aliquid reliquisset, ex ejus opinione ac si efficaciter egerit, et filiae nihil ex recepta dote deberet, relictum in dotem compensandum esse, *MODESTINVS* et *JULIANVS* responderunt. Juris-Consulti igitur non ideo compensationem legati in dotem, quod haec debitum quasi necessarium sit, admiserunt, sed quod verisimile sit, patrem ita voluisse. Scilicet constitutio dotis potius ad necessarium debitum referri posset, non vero restitutio dotis, contra jura, receptae. Miror itaque valde, *BRVNNEMANNVM*, aliosque, quos ad *l. 22. resolut. matr.* citat, eo devenisse, ut existimarint, patrem ex indebita receptione dotis necessarium debitorem filiae suae esse factum. Profecto hi Juris interpretes, tam in facto, quam in ipso jure, mirum in modum errarunt et con-

In LL. nullatenus deprehendi necessarium debitum, demonstratur.

elusionem, quam leges ipsae respuunt, elicuerunt. Cum igitur hic nullum debitum necessarium, sed voluntarium, ex factō patris, nimirum ex indebita dotis receptione, resultans, deprehendatur, certe opinio de imputatione relicti in necessarium debitum nullo modo potest comprobari. Cognovit id *GLOSSA ad l. 22. D. solut. matrim.* et ideo aliam distinctionem subiecit: num ante vel post debitum, testamentum sit factum, existimans, quod non priori, sed tantum posteriori casu legatum, compensari debeat in debitum, de qua distinctione, quid sentiendum sit, infra dicitur.

§. XII.

*Dissensus vet.
ictor de impu-
tatione legati
in debitum o-
stenditur.*

Sin vero ex me quaeras, quid sit, quod dos, quam pater ex receptione filiae restituere debebat, in legatum imputetur? ego tibi respondeo cum *MODESTINO ex l. 84. d. leg. 1.* quod ita patrem voluisse virisimile sit, vel potius quod Juris Consulti, ita virisimile esse, judicant. Hinc si in testes et urgeas, quomodo, vel qua ratione voluntas eliciatur? ego omne fundamentum in Responsis Prudentum, quae in patre atque marito animum compensandi inducebant, pono, in iisque in tantum acquiesco. Nunc vero tibi dissensum veterum Juris Consultorum indicabo, et quomodo illi Justinianus subvenerit et his quoque legibus auctoritate Imperatoria derogarit, paucis demonstrabo. Equidem largior *VLPIANVM, JULIANVM* et *MODESTINVM* legatum in dotem compensari oportere semper, statuisse. Jungo his *Papinianum*, qui in *l. 77. §. 5. de leg. 2.* etiam illud legatum, quod maritus uxori reliquit, in dotalia bona, quae a marito vendita erunt, compensandum esse censuit. Non solum enim ejusmodi relicta, sed et promissiones stricte interpretabantur, ut videre est in *l. ult. C. d. dos. prom.* Hinc licet

et pater dotem promiserit, et sic ex conventionem tene-
retur, tanquam debitor voluntarius, tamen illud, quod
ab eo filiae relinquebatur, in promissam dotem compu-
tabatur, *l. 84. §. 6. d. leg. 2.* Quare illa limitatio, quam
quidam faciunt, ac si debitum necessarium pacto super-
veniente commutetur in voluntarium, hacque de ratione
in dotem non debeat compensari, vix locum habet; si-
quidem ei citata lex 84. plane repugnat. Quam incer-
ti, hac in causa JCI fuerint, evoluta lege *123. D. d. leg. 2.*
deprehendi potest; ibi enim MARCELLVS primum qui-
dem, relictum in debitum compensari voluisse videtur,
mox vero, re quasi penitus perpensa, in alteram partem,
quod relictum in debitum haud compensari debeat, pro-
pendet, quam ob rem hunc textum Romanus in singul:
546. it. MENOCHIVS Consil. 125. n. 5. notabilem vocant.

§. XIII.

Insedit nimirum quibusdam interpretibus, ut reli-
ctum non solum in dotem sive repetendam, sive promif-
sam, sed et in alia debita, a testatore praestanda, com-
pensandum esse existimarint. Familiae enim conser-
vandae studebant, et ita, ne filius heres duplici praesta-
tione afficeretur, cavebant. Patet illud ex famoso illo
Edicto, de alterutro, quo cautum erat, ut si quid maritus
uxori hereditatis vel legati vel fideicommissi titulo re-
liquisset, alterutro sc. vel legato vel dote contenta esse
debeat, *vid. l. ult. C. Theod. d. restam. CVIAC. L. III. obs. 16.*
Adeo parcebatur heredi, ne duplici praestatione he-
reditas nimium exhauriretur, et inde fluxit illud,
omne relictum in dotem, licet ex contractu resti-
tuendam, imputandum esse. Rursus alii ex Juris-
Consultis in contrarium iverunt, et nullum legatum in
debitum computandum esse, opinati sunt, nisi enixa vo-
luntas testatoris compensare volentis, ostendatur, *l. 85.*

Ulterior de-
monstratio.

D. d. leg. 2. Hanc regulam Ictus PAVLVVS tam late concepit, ut nulli exceptioni locum reliquerit, nisi forsan ab ipsa voluntate testatoris desumatur. Calculum ei adjicit POMPONIVS in *l. 4. D. de dotis collat.* Vbi diserte statuit relictum in dotem non debere imputari; Neque forsan hic aliqua exceptio continetur, quasi legatum in dotem ideo non sit compensandum, quod dos a patre promissione sit constituta, nam supra ex *lege 84. D. d. leg. 1.* jam demonstratum, quod etiam in promissam dotem relictum compensandum esse, Juris-Consulti responderint. Hinc leges hae sibi invicem diametro contradicunt, id quod jam MENOCHIVS praefensit *Praef. 109. n. 17. et 21.* et pro tuenda, quam defendit, opinione, omnia, quae tamen huc non quadrant, anxie conquisivit.

§. XIV.

Justiniani decisio.

Diffensiones Juris Prudentum hoc in argumento inter se agitatae clarius cognosces ex *l. 77. D. d. leg. 2. §. 5.* et *l. 16. D. d. praeleg. dot.*, praecipue vero ex *l. ult. C. d. promiss. et l. un. C. de rei uxor. act.* Ipse Imperator Justinianus horum dissensuum mentionem pariter ac decisionem fecit. Julianus enim ejusque aetate non tantum relictum, sed etiam promissum, tam arte adstringebant ut semper in debitum ea compensanda esse existimarint. His alii contradicebant et relictum pariter ac promissum liberius interpretabantur, neque in debitum imputari debere, asseverabant. Quorum sententiam tandem Imperator Justinianus confirmavit et in allegatis legibus constituit, quod neque dos promissa, in bona filiae propria a patre praestanda, imputari, neque relictum, in dotem compensari, debeat. Praeterquam enim quod JUSTINIANVS litigius de imputatione legati vel promissi in debitum,

tum, finem fecerit, abrogato simul Edicto, de alterutro, hoc novi quoque introduxit, ut novam praesumptionem in locum prioris, quod nempe duplici praestatione testator non videatur heredem onerare, substitueret, et sanciret, quod relicta et promissa in debitum nunquam, nisi testator hoc addiderit, imputari debeant. Quam Imperatoris decisionem observemus par est, neglectis et rejectis eorum, quae in contrarium ex supra allegatis legibus afferuntur, praesumptionibus. Hinc quoque cum Imperatore generalem praesumptionis regulam formo et conficio, relictum in nullum debitum esse imputandum, et legatarium, utrumque et debitum, et legatum consequi, nisi testator, quod pro debito legatum reliquerit, addiderit; Et haec quoque est sententia PAVLI in l. 35. D. d. leg. 2. proposita, et jam ab Imperatore confirmata.

Responsa ad
Aver. h. h. h.
l. 35. D. d. leg. 2.
V. et V.

§. XV.

Cum igitur firmam ab Imperatore traditam habemus praesumptionem, quod testator nunquam animo compensandi aliquid dereliquisse praesumi debeat, nisi ipse hoc addat, manifestum est, non opus esse ea distinctione, quam Glossa proposuit, nimirum, num debitum ante vel post testamentum sit contractum; loquitur enim Imperator de debito, jam ante testamentum contractum, et in illud relictum compensari non debere, nisi animus compensandi probetur, constituit, ibique animum compensandi non adesse, tanquam certam juris praesumptionem, ponit. Nunc vero GLOSSA debitum, post testamentum contractum, in relictum haud compensari, concedit; Imperator vero idem quoque in casu, si quando debitum, ante testamentum, contractum, sancivit, hinc patet, hanc glossae distinctionem

Distinctio
Glossae rejectur.

1163

tionem prorsus esse inutilem; standum enim in regula Imperatoris, quod, animus compensandi in legatis, aliisque ejus generis relictis, haud praesumatur, adeoque haec donata in debitum, sive ante sive post testamentum, contractum, non sint imputanda, nisi voluntas testatoris aliter, et pro debito legatum relinquere volentis, clare ostendatur.

§. XVI.

Responsio ad
Avth. si praeterea
C. unde V. et V.

Quare nunc facile erit ad respondendum ad *Avth. Si praeterea C. unde vir et uxor.* Quod si etiam permit-
tamus in hac Avthentica sancitum esse, ne uxor hereditatis partem simul, et legatum capiat a marito relictum, adversarii tamen nondum consequentur quod volunt. Verum quidem est, quod uxor marito succedens, in portionem suam legatum debeat imputare, sed illud omne, ex ipsa natura successionis sub conditione quadam uxori a legibus promissae, necessario fluit. Uxor enim et maritus sibi invicem Jure Romano in hereditate haud succedebant, excepto unico casu, si omnis parentum, liberorum, et propinquorum legitima et naturalis successio deficiat, tunc enim alter conjux alterius mortui hereditatem, Fisco excluso, adire vel vindicare poterat, *l. un. C. und. vir et ux.* Imperator Justinianus, foeminarum miseratus, aliam succedendi rationem, quod ad uxores, tam in *Nov. 53. C. 6.* tam in *Nov. 117. C. 5.*, unde Avthentica: *Praeterea C. unde V. et U.*, est desumpta, introduxit. Vxori enim superstiti, vel sine justa causa projectae sive repudiatae, quartam ex substantia mariti addicit, modo inops sit, et in novissima vivere cogatur egestate, maritus vero praemortuus sit locuples. Ratio in promptu est, ut uxor habeat, unde honeste post mariti mortem vitam transigere queat. Non enim praesumitur tantum, quantum ad vi-
tam

tam honeste sustentandam sufficit, sibi quaerere posse, cum e contrario maritus, ut sibi necessaria vitae alimenta acquirere possit, idoneus habeatur, hacque de causa ab omni successione in substantiam uxoris excludatur. Quia vero uxor non aliter, quam sub conditionibus, si inops et maritus locuples sit, ad mariti successionem admittatur, consequens est, quod uno alterove requisito deficiente, successio quoque cesset. Si ergo uxor ipsa habeat, unde vivere queat, sive a marito, sive a tertio quid relictum accipiat, quod quartam partem ex substantia mariti capiendam exaequet, ulterius aliquid ex hereditate mariti petere non potest. His igitur praestructis et praesuppositis sequitur, quod legatum a marito relictum in portionem quartae uxoris debeat computari. Quoniam vero hoc aliquid singulare est atque lege praescriptum, et ex ipsa natura negotii resultat, ad alios casus, ubi hae conditiones non deprehenduntur, trahi haud debet. Haec enim successio uxoris in subsidium saltem ab Imperatore est permessa, et ideo eam rectius subsidiarium, quam necessarium debitum, dicas, ut BEYERVS iudicat *ad J. d. leg. Pos. 48.* Ubi ergo alia successio uxori legibus est permessa, hoc subsidio Novellae et successionis civilis haud eget uxor, neque ita hujus conditionibus est adstricta.

§. XVII.

Jam vero jura Germanica uxori aliam, et a successione juris Civilis plane diversam tribuunt succedendi rationem, adeo, ut haec subsidiaria successio amplius non requiratur. Quomodo ergo a successione juris Civilis ad hodiernam successionem, ex jure patrio derivatam, validum duci potest argumentum? Neque leges Germanicae

Diversa ratio
ex Jur. Germ.
ostenditur.

nicae ex jure Romano, sed ipsis moribus, institutisque Germanorum interpretationem recipiunt, cum statum a Romanorum Republica prorsus longe diversum supponant, et ita etiam aliam interpretandarum legum rationem postulant. Jure enim Romano maritus, licet maxime vellet, uxori nihil relinquere poterat, quin non id animo compensandi reliquisse videretur ob legem Papiam, de qua CONTIVS et GODOFREDVS Postquam igitur Imperator JUSTINIANVS uxoribus successionem ex singulari quodam beneficio in casum egestatis dederit, omnino etiam id, quod maritus reliquerat, in eam computandum constituit. Lege itaque haec imputatio legati est praescripta, et sub causa speciali constituta, ut ideo ad alios casus, minus recte proferatur. Cum vero apud nos jure patrio alia sit successio uxoris, sine conditionibus a JUSTINIANO praescriptis, permixta aliud etiam dicendum est de imputatione legati in eam. Maritus enim scit comoda successionis uxori suae jure quodam proprio deferri, cum ei igitur aliquid relinquat, quae praesumptio alia, quam quod uxori suae, praeter portionem statutariam, adhuc aliquid amplius dare voluerit, capienda? Fundata est haec conclusio in mente Imperatoris *in l. un. §. 3. C. de Rei Uxor. Act.* declarata. Sciverat maritus, dotem uxori suae post mortem restituendam esse, cum ergo hoc sciat, et nihilominus ei legatum relinquat, non vero, quod illud dotis nomine relinquere, addat, praesumitur uxori hoc legatum, praeter dotem, dereliquisse. Par esto iudicium de legato a marito praeter portionem statutariam relicto. Nihil enim impedit, quo minus ei, quam Imperator introduxit, praesumptioni, de non compensando legatum in debitum, inhaereamus, ceterisque in contrarium inclinantibus praesumptionibus, repudium demus; Ubi enim
Lex

Lex adest expressa, ibi cetera praesumptionis argumenta conticescant.

§. XVIII.

Quam sententiam ut foveamus non solum leges imperatoriae, quibus obsequendum, requirunt, sed etiam conditio legatorum et relictorum natura postulat. Immo enim legatum, quandam speciem donationis refert, *§. 1. §. d. leg. et l. 36. D. d. leg. 2.* Imo dicitur delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod heredis universum foret, alicui quid collatum velit, *l. 116. D. d. leg. 1.* si vero per legatum testatur animum donandi et conferendi aliquid ex hereditate in legatarium satis declarat, quid est, quod de eo dubitemus, aut mentem legantis in contrarium, quasi ille compensare voluisset, contorqueamus? Donatio et compensatio inter se maxime differunt, et actus donandi regulariter compensationem haud includit, et aliud est, aliquid ex liberalitate, aliud ex necessitate, praestare, nec legantis liberalitas tam arcte constringenda, ut ad id, quod necessitate debetur, transferatur, et omnis liberalitatis gloria, per imputationem donati in debitum, absorbeat. Hinc concidit ratio, quasi heres duplici praestatione oneretur, debitum quidem praestandum, licet testator nihil reliquisset creditori suo, et sic heres per legatum una saltem praestatione oneratur; dein, adimplenda est mens testatoris, eo ipso, dum legat, satis declarata, siquidem testator legatarium intuitu ejus, quod in eum ex hereditate collatum velit, magis dilexisse, quam heredem, videatur, *l. 91. ad L. Falcid. et ibi Brunnem.* Satis enim est heredi, quod cetera hereditatis bona nanciscatur, vel, si et haec legatis sint exhausta, Falcidiam consequatur. Legata enim favorabilia esse et ita interpretanda, ut semper

Rationes quibus Justiniani praesumptio suffulcitur.

effectum fortiantur, leges disponunt, *l. 12. D. d. reb. dub.* Sicubi etiam in donationibus plena, in Testamentis plenior, et in beneficiis, quorum in numero legata et fideicommissa ponuntur, plenissima interpretatio est adhibenda, *C. 6. X. d. Donat. junct. l. 12. D. d. Reg. Jur.* Hinc est quod donatio a testatore in testamento facta, cum ea, quae in Codicillis relicta est, non compensetur, *l. 12. D. d. probat.* Nec dos a patre simpliciter promissa in id, quod filiae debet, non computetur *l. ult. C. d. Dot. promiss.* Sicuti ergo his in casibus haeres et pater vere duplici praestatione afficitur; ita multo minus heres, quod praestatione duplici, exsolvendo scil. debitum et praestatione legati, afficiatur et nimium gaveretur, conqueri potest, potius hoc suo, ex testamento percipiendo commodo, cui incommodum hoc annexum est, tribuat. Quibus rationibus Imperator JUSTINIANVS haud dubie commotus iudicium PAVLI in *l. 85. d. leg. 2.* comprobavit et in legante potius ut donandi, quam compensandi animus praesumatur, disposuit.

§. XIX.

Aliis casibus
probatur.

Quemadmodum vero haec regula etiam in aliis casibus locum sibi vindicat, dum legatum neque in Falcidiam, neque in hereditatem legitimam, licet utraque species ex lege veniat, computatur, *l. 60. et 91. ad L. Falcid. ibique BRUNNEM. ad l. 12. eod. l. 13. 15. C. de collation.* Ita hanc Pontifex INNOCENTIUS III. in *Cap. 14. X. d. testam.* humanitatis et civilitatis ratione ductus, confirmavit. Cum enim Episcopo, cui alias portio Canonica ex Canone, et ita quasi ex lege debetur, legatum a demortuo testatore esset relictum, quaestio; num illud in Canonicam portionem compensari et sic altero

rutro

rutro Episcopus contentus esse debeat? ad Innocentium est delata. Hic utrumque Episcopo deberi, si legatum absolute relictum sit, rescripsit, et tunc demum, si mortuarus, ut stilo ejus utar, cum conditione ut Episcopus relictus contentus sit, legaverit, compensationem admisit, et Episcopum alterutrum, hoc in casu tantum, consequi posse, respondit. Quid vero hoc aliud est, quam quod Imperator Justinianus fancivit; non oportere relictum seu legatum in debitum imputari, nisi testator hoc specialiter addat, et hanc conditionem exprimat. Couvarruvias, hujus Capituli autoritate et aequa dispositione eo fuit adactus, ut quamquam distinctionem inter debitum necessarium et voluntarium haud improbat, tamen in formandis conclusionibus ab eo desectat, nostramque sententiam amplectatur; Expresse enim argumento hujus Capituli statuit quod ea, quae Conjuges sibi invicem relinquunt, in portionem lege debitam haud computari debeant.

§. XX.

Hanc in sententiam SCHILTERVS more suo succincte, solide tamen, quaedam dixit et disputavit, *Exerc. 39. ad D. rh. 16. 23.* Vbi et aliam solvendi supra allegatas leges profert rationem. Cum enim VLPIANVS in *l. 22. D. solut. matr.* ad JVLIANVM provocat et ita haec lex JVLIANO sit explicanda, JVLIANVS vero in *l. 84. §. 6. D. d. leg. 1.* perinde, ut MODESTINVS in *l. 34. §. 5. d. leg. 2.* haud obscure casum eum proponat, quasi legatum dotis nomine vel pro dote relictum videatur, hacque de causa in dotem computandum sit, SCHILTERVS compensationem relictus in dotem etiam ad hunc casum restringit, si quando testator legatum

Schilteri opinio et quid de ea sentendum sit?

pro dote, vel nomine dotis, et sic in locum debiti expressse reliquerit, non vero, si simpliciter, non adjecta dotis, vel debiti, mentione, aliquid dereliquerit. Quae quidem interpretatio maxime probabilis, et aliorum Ictorum menti haud inconueniens esse videtur, sed cum supra memorati Juris-Consulti, alibi sensa animi clarius prodiderint, et legatum, licet non dotis nomine vel pro dote relictum sit, pro eo, ac si dos legata esset, acceperint et interpretati fuerint, *l. 2. ff. d. dor. praeleg.* rationi, quod duplici praestatione heres non onerari debeat, mordiciter inhaerentes *l. pen. eod.* vereor sane, ut conjectura SCHILTERI his legibus solvendis explicandisque faciat satis. Ergo potius in decisione Imperatoris manendum et acquiescendum erit.

§. XXI.

Limitatio sentent. nostrae.

Nolo tamen eo progredi, quod nullam legati in debitum admittere velim compensationem, si aliae profert conjecturae. In eo enim me consentientem habent defensores alterius sententiae, quod tunc demum relictum in debitum recte imputetur, si vel lege ita statutum, vel voluntas testatoris compensare volentis, si non expresse, saltem implicite, id est, ex probabilibus conjecturis, demonstratur, *HARTM. PISTOR. qu. 4. P. II. MATTH. de AFFLICTIS. Dec. 44.* ubi conjecturas, ex quibus animus testatoris compensandi colligi potest, aliquas affert, in quibus tamen discernendis probandisque cautum adhibendum est iudicium, nisi enim tam fortes et clare sint, ut testatoris voluntas exinde evidenter pateat, IUSTINIANI iudicium semper indubio praevallebit. Ita olim severitas legis Papiae, de qua supra mentio facta est, vetuit conjuges inter se ex testamento aliter

aliter quid, quam compensandi causa, capere, unde Edictum, de alterutro, ortum traxit, quod nimirum relictum a marito semper in dotem fuerit compensandum. Discimus tamen exinde, quod hic compensationis causa non fuerit necessarium debitum, sed ipsa legis dispositio, cum maritus ex contractu et ita voluntarie ad restitutionem dotis esset obligatus. Ita quoque leges volunt, quod omne relictum a testatore, fiduciario heredi, in Trebellianicam computari deceat. Hinc legi quidem satis faciamus, non tamen ingenia adeo indulgeamus ut illud ad alios plane diversos casus statim, accommodemus. Si quis enim, quae de imputatione relictorum in Trebellianicam disposita sunt, ad Falcidiam transferre et quod relictum, etiam in eam computari debeant, contendere vellet, is sane, minus dextre iudicium suum proferret, sed legibus vim faceret. Nihilominus tamen id a Glossatoribus in hoc argumento juris, de relictum in debitum compensando, factum esse, supra pluribus est demonstratum, sibi enim ex suo ingenio argumenta, quibus quadrata oblongis accommodarunt, et conjuncta disjuxerunt, ratione legis non habita, finxerunt et sunt com-
menti.

§. XXII.

Stabilito itaque et firmato sententiae nostrae fundamentum prostratisque eorum, quae in contrarium afferri poterant, argumentis, jam quasdam species proponam et ad eas principia applicabo. Et cum de relictum in dotem haud compensando, jam uberius tractatum fuerit, ita nunc, sese offert portio Statutaria et, num legatum a marito uxori relictum, in eam compensandum sit? est quaestionis; Ego non possum non inficiari

Applicatio principii ad portionem statutariam.

ciari; quanquam enim Vxor quibusdam in locis, ubi ita receptum est, bona sua in hereditatem praemortui mariti, si succedere velit, conferre teneatur, ego tamen ex intentione mariti, uxorem legatum praecipuum habere, nec inferre debere, assero. Sicuti enim liberi, licet sibi invicem conferant, legata et fideicommissa ex patris praesumpta voluntate praecipua et a collatione libera habent, ita quoque maritus, ut uxor relictum praecipuum et a collatione immune teneat, voluisse vel ex dispositione Justiniani praesumitur. Potuit enim liberis maritus injungere, ne viduam ad collationem cogant, sed eam remittant, cui praecepto liberos oportet obsequi. Legando vero, hanc potestatem exercuit et voluntatem suam, quod uxori praeter portionem statutariam, aliquid adhuc dare voluerit, satis declaravit. Quem enim alias haec dispositio effectum esset habitura? eam vero ut evanescere et nullius valoris esse patiamur, prorsus est incivile. Si enim testator legatum in portionem statutariam voluisset compensari, non opus habuisset actu legandi, irrito, et omni affectu destituito, sed in legis dispositione et portione statutaria conquiescere potuisset. Sane cum maritus portionis, ex statuto uxori suae competentis, haud ignarus sit, neque frustraneum actum, more stultorum, suscepisse praesumatur, profecto ex illo ipsa actu legandi, nihil certius inferri potest, quam quod maritus voluerit uxori suae aliquid, amplius portione statutaria, conferre, eoque ipso fidei liberorum committere, ne collationem legati, quippe quod alias loco nullius esset momenti, ab uxore petant, et sic legatum firmum voluntatemque suam, legandi actu declaratam, validam esse sinant. Aequum enim et fas est, ut liberi iudicium arbitrumque

que patris semper sequantur et sancte custodiant. Quibus praesumptionibus ex facto petitis, cum illa, a Justiniano in *l. un. §. 3. C. de Rei Ux. Act.* tradita praesumptio juris, accedat, haec nostra sententia plenum nanciscitur robur et omnino veritati est equiparanda. Eumque in modum a ICtis saepius responsum esse memorat COLERVS P. I. Dec. 62. SCHILTERVS Exerc. 39. th. 23. MOLLERVS Semestr. L. III. Cap. 25. et Consult. ad Const. Sax. T. III. P. II. Quaest. 23. Ut adeo haec opinio non prorsus auctoritatibus destituatur, sed rebus etiam iudicatis corroboretur.

§. XXIII.

Num illud, quod legari nomine a patre relinquitur, filio in legitimam sit computandum, non extra omnem controversiam est positum, postquam hodie liberi heredis titulo sunt instituendi. Eo ipso enim, dum pater eos heredes scribit, iisque simul legatum relinquit, hoc animo compensandi, juxta regulam Iustinianeam et praesumptionem, non dereliquisse videtur. Accedit, quod in *l. 35. C. de inoffic. testam.* donatum in legitimam haud computari disponatur, nisi testator sub ea conditione, ut in legitimam computetur, reliquerit. Quamobrem statuendum videtur, quod donatum, aliudve a patre relictum, liberis in legitimam non sit computandum. Quid enim opus habuisset pater, liberis quos semel in legitima heredes instituit, legatum relinquere, nisi etiam, ut iis illud praeter legitimam praestetur, voluisset.

Num legatum in legitimam sit computandum?

§. XXIV.

Eodem modo illud, quod maritus ex comestibilibus relinquit uxori, non in portionem, quae uxori ex comestibilibus statuto debetur, compensandum esse, sed uxori tanquam praecipuum relinqui oportere, tam intentioni legantis, quam legis rationi est convenientissimum. Neque video rationem, cur liberalitas a marito in uxorem collata in dotalirium, quod ei partim ex lege, partim ex mariti conventionione, debetur, imputari debeat. Nulla alia est, quam illa necessarii debiti, quae tamen, prout ostensum, omni ratione et fundamento caret. Taedet me plane earum conclusionum, quae inde tum contra aequitatem, tum contra certa constitutaque jura, contorquentur. Hoc enim principium, de necessario debito non solum non rite intelligitur, sed etiam ad causas,

De Comestibilibus & dotalirio.


in quibus tamen tale minime reperitur, male applicatur. Quantum iniquitatis hocce principium habeat, securus casus, ejusque decisio demonstrabit. Foemina quaedam, dum dotem ad maritum attulit, pactis dotalibus sibi lucrum quoddam constitui curavit. Maritus uxori usumfructum omnium bonorum, facto testamento, reliquit; mortuo testatore vidua usumfructu est usa. Postquam vero etiam demortua fuit, heredes ejus contra mariti heredes venerunt, petunt dotem et quae pactis dotalibus erant promissa. Quaesitum fuit, num justa sit atque fundata heredum intentio, et ab iis, qui opinionem de imputando relicto in necessarium debitum tuerentur, est negata, omneque lucrum ex pactis dotalibus debitum cum dote abjudicatum; nulla ex alia ratione, quam quod debiti necessarii ea sit conditio, ut cum legato videatur compensari. Hunc casum et ejus decisionem habet *BRVNNEM, Decis. 17. Gent. 3.*


§. XXV.


Contrariae
sent. iniquitas
et Conclusio.

Quam inique cum heredibus uxoris sit actum et quam sinistre principium de necessario debito sit applicatum, boni aequique Aestimatores judicabunt. Quod enim supra monui, quod Sectatores hujus sententiae, plerumque pro necessario debito venditent, quod tamen re voluntarium est, et ex contractu, veluti restitutio dotis, proficiscitur, hoc idem praesenti in casu evenit. Illud enim quod dotalibus pactis promissum est, necessario debitum necessarium esse debet. Namque ob causam solam heredibus viduae, jus petendi illud, quod ex pactis dotalibus et ex voluntate mariti debebatur, contra jus, fuit denegatum. Ex quibus omnibus elucet, quod ii ipsi, qui distinctioni inter necessarium et voluntarium debitum in legatum, vel quod idem est, relicto in necessarium debitum compensandum sit, se manciparunt, neque in principio neque in conclusionibus inter se conveniant, nec quid certi determinarique statuunt, nihil tamen secus partibus multum injuriae inferant, et ita contra juris sancita, aequitatem, ac mentem testatoris, agant. Ego vero huic disceptationi finem facio, et opto, ut Sacerdotes Justitiae semper id, quod justum est et aequum, exacte perpendant, et sequantur.

F I N I S.









in quibus tamen tale minime reperitur, male applicatum iniquitatis hocce principium habeat, securus decisio demonstrabit. Foemina quaedam, dum tum attulit, pactis dotalibus sibi lucrum quoddam vit. Maritus uxori usumfructum omnium bonorum relinquit, mortuo testatore vidua usufructum, quam vero etiam demortua fuit, heredes ejusdem des venerunt, petunt dorem et quae pactis promissa. Quaestum fuit, num justa sit arbitrio intentio, et ab iis, qui opinionem de iniquitate rium debitum teneatur, est negata, oportet dotalibus debitum cum dote abjudicari, quod debiti necessarii ea sit conditio compensari. Hunc casum et ejus de BRUNNEM. Decis. 17. Gen. 3.

Contrariae
sent. iniquitas
et Conclusio.

Quam inique cum heredes... actum et quam sinistre... principium de necessario... eatum, boni aequique Ae... stimatores judicabunt. ... supra monui, quod Sectato... res hujus sententiae, ... necessario debito venditent, ... quod tamen re volu... ex contractu, veluti restitutio... dotis, proficiscitur... presenti in casu evenit. Illud enim... quod dotalibus... m est, necessario debitum necessa... rium esse debe... causam solam heredibus viduae, jus... petendi illud... is dotalibus et ex voluntate mariti de... beatur, c... enegatum. Ex quibus omnibus elucer, ... quod ii in... oni inter necessarium et voluntarium debi... tum in... fit, se manciparunt, neque in principio neque... in... inter se conveniant, nec quid certi determinati... d... tamen factis partibus multum injuriae inferant, ... is sancita, aequitatem, ac mentem testatoris, agant. ... e disceptationi finem facio, et opto, ut Sacerdotes... e semper id, quod justum est et aequum, exacte per... pendant, et sequantur.

F I N I S.

